UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Sicilia Antiqva

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1619

Cap. XI. Maro mons. Gemelli colles. Nebrodes mons. Cratas sive Acragas mons. Engymum & Petra, opida. Piciniana & Comitiana, incertae condicionis loca. Erbessus urbs. Fons, cui oleum innatat. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14145

Visual Library

CAP. XI.

Maro mons. Gemelli colles. Nebrodes mons. Cratas mons. Engyum & Petra, opida. Piciniana & Comitiana, incertæ condicionis loca. Erbessus urbs. Fons, cui oleum innatat. Vulcanius & Gonius montes. Sal Agrigentinus. Scaturigines terram evomentes. Concheus lacus. Motyum castellum. Ancyræ & Cotyrga, opida.

MARO *mons.*

VLtra Himeram sive Salsum amnem ingens montium jugum à fonte Alæsi & Heræis montibus ad opidum usque, cui vulgare nunc vocabulum *Misumeni* sive *Musumeli*, protensum, vulgari nunc adpellatione incolis dicitur *Madonia*, seu, peculiari Siciliæ dialecto *o* in *u* converso, *Madunia*. Antiquum eius nomen apud Plinium & in Martyrologio Maurolyci est MARO *mons*. Plinius, lib. III, cap. VIII: *Mons Aetna, nocturnis mirus incendiis. crater eius patet ambitu stad. XX. favilla Tauromin. & Catanam usque pervenit fervens: fragor verò ad Maronem & Gemellos colleis.* In Martyrologio verba hæc leguntur: *Unum quoque ex meo cœnobio S. Mariæ à partu: quod sub Marone monte Gemellisque collibus positum est.* GEMELLI isti COLLES nulli alii sunt, nisi qui, inter septemtrionalis Himeræ fontem & Maronem montem protensi, vulgò nunc dicuntur *Monte di Mele*; antiquî illius nominis haud exiguas servantes reliquias. Fazellus, decad. I lib. X: *Musumellis opidum, à Manfredo Claromontano conditum; ut vetus inscriptio super portam indicat: à quo Manfreda adpellatur. etsi Mons mellis hodiè à monte, cui hæret, nuncupetur.* Cæterò omne hoc dictorum Maronis Gemellorumque montium jugum alio nomine Silio, Solino, ac Gratio dicitur NEBRODES MONS; Græcè Straboni τὰ Νεβρώδη ὄρη, id est, NEBRODES MONTES. Solinus cap. XI, memoratis Aetnâ atque Eryce: *Sunt & alii montes duo, Nebrodes & Neptunius.* Silius, lib. XIIII:

GEMELLI *colles.*

NEBRODES *mons.*

Litora Thermarum, priscâ dotata Camænâ,
Armavêre suos; quà mergitur Himera ponto
Aeolio. nam dividuas se scindit in oras:
Nec minus occasus petit incita, quàm petit ortus:
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.
Quo mons Sicaniâ non surgit ditior umbrâ.

Nempe densi umbram efficiebant saltus; quos pervagabantur hinnuli atque damulæ: unde nomen jugo quæsitum. Solinus dicto loco: *Nebrodem damulæ & hinnuli pervagantur. inde Nebrodes.* Græcâ scilicet formatione Νεβρώδης, ἀπὸ τῶν νεβρῶν, id est, *ab hinnulis.* Hinc & Gratius, in Κυνηγετικῷ, de equis loquens:

Possent Aetnæas utinam se ferre per arceis;
Qui ludus Siculis? quid tum si turpia colla
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Graiis Acragas victæque fragosum
Nebrodem liquêre ferâ.

Jam igitur quis ampliùs dubitet, apud Strabonem quoque legendum esse Νεβρώδη, pro vitiatâ voce νεφρώδη; quam cum proximâ ὄρη interpres vertit *Nervosi montes.* Vitio id posterioris sæculi factum; ubi Græcum β pronunciabatur ut *v* Latinum: mox, quum Græcum *v* etiam efferretur ut idem *v*; quod innumeris vocabulis apud unum Ptolemæum observare est; promiscuè scribebatur *v* pro β· unde Καλαυρία & Καλαυροὶ dicta sunt vocabula, pro Καλαβρία & Καλαβροὶ, *Calabria* & *Calabri*. Quod vitium mox etiam in Latinum transiit sermonem. unde *Bobellas, Sub Lanubio, Bobiano, Benebento, Vibona Balentia*, legimus in Tabulâ itinerariâ loca Italiæ, quæ erant *Bovillæ, Lanuvium, Bovianum, Beneventum, Vibo Valentia:* & eodem modo Africæ populi ibidem *Bagi Getuli*; qui erant *Gætuli Vagi*. Sed ad Nebroden redeamus. Verba Strabonis, lib. VI, hæc sunt: Ἀντικρὺ δὲ τῆς Αἴτνης τὰ Νεβρώδη ὄρη, παραπλήσια ὑψει, πλάτει δὲ πολὺ ὑπερβάλλοντα. Id est: *Aetnæ ex opposito sese attollunt Nebrodes montes; humiliores quidem illâ, sed latitudine æquali.* Hinc & Fazellus, decad. I lib. X: *Politium ingens & locuples inter duo Himeræ fluvii capita situm est opidum. Originem ad Rogerium, Siciliæ comitem, refert. qui Saracenos insequens quum ad verticem Nebrodis fugasset; eos obsessurus, in mole quadam editâ ad montis radices arcem, ubi commodiùs stativa teneret, excitavit;*

citavit: quæ adhuc supereſt. Cratas hic mons Ptolemæo, ſed cæteris ſcriptoribus Nebrodes, vulgò autem hodiè Madonia dicitur. qui, totâ Siciliâ, præter unum Aetnam, omnium latiſſimus celſiſſimusq;, maximâ anni parte nive tegitur, & mari Tyrrheno prominet. Complures circumquaque perenneis & ingenteis habet fonteis: qui è veſtigio non ſolùm molas volvunt triticeas; ſed in flumina quoque diffunduntur. herbis ſuis etiam radicibusque omnis generis nobilitatur; quas aut brutis animantibus aut hominibus in potiones ſalutareis herbilegi atque aromatarii undique confluentes inde decerpunt. damis præterea atque hinnulis cervisque abundare ſolet: à quorum copiâ nomen olim Nebrodis, quod damam Latinis ſonat, aptiſſimum mutuavit. unde & locus ad eius quoque verticem, rupibus undique foſſæ inſtar circumciſus, Mandra cervorum vernaculè, Cervile Latinè, dictus eſt. Hodiè autem ob nimis inconſideratam promiſcuamq; venationem, omni fermè ferarum genere, quæ in eius loca quietiora ſecedere conſveverant, videtur exhauſtus. Porrò oves, quæ ibi ex paſcuis ſaginantur, & dum vivunt & poſt interitum etiam perpetuò denteis habent inauratos. Non tantùm eâ parte, qua in Tuſcum prominent mare, dictos fuiſſe Nebrodes monteis; ſed nomen hoc ultra medium etiam inſulæ versùs mare Africum ad fonteis usque Acragantis & Halyci amnium extenſum fuiſſe; patet ex præſcriptis Silii verbis; ubi utriusque Himeræ fontes ad Nebroden ponuntur.

Cæterùm ὁ Κρᾶτας ὄρος, CRATAS MONS, locatur Ptolemæo inter Panormum & Tricala opida; quorum hoc circa Sciaccam fuiſſe, poſteà oſtendam. Hinc patet, Cratam minimè eſſe eumdem, qui aliis dicitur Nebrodes: ſed potiùs illud montium jugum, quod à Gemellis collibus, parte Nebrodis, & ſeptemtrionalis Himeræ fonte ad Panormum versùs & Crimiſi fluminis fontem extenditur. CRATAS *mons.*

Cæterùm ad initium Maronis montis, quà is Heræis circa Alæſi fontem jungitur jugis, *opidum* olim erat, Ἔγγυϊον ENGYIVM, ſive Latino ore ENGVIVM dictum; Diodoro, Plutarcho, Ptolemæo, ac Stephano memoratum. unde *opidani* Græcis Ἐγγυῖνοι, *Engyini*, Latinis ENGVINI, vocabantur. Stephani epitomator: Ἔγγυϊον, πόλις Σικελίας. τὸ ἐθνικὸν Ἐγγῖνος, ὡς Ῥηγῖνος. Id eſt: *Engyium, urbs Siciliæ. gentile inde Engyinus, ut Rheginus.* Atque iisdem literis Plutarcho quoque ſcribitur opidi vocabulum; ut mox videbimus. unde patet, corruptum id eſſe apud Diodorum ac Ptolemæum in Ἔγγυον, *Engyum.* ENGVIVM *opidum.*

Quamquàm Silius id etiam τερατώλαβον uſurpaverit, lib. XIIII, his verbis:

—— *Romana petivit*
Fœdera Callipolis; lapidoſique Engyon artus.

Vbi tamen vitiata vox in vulgatis exemplaribus legitur *Eugion:* quod quidam noſtri ſæculi homines, quibus ſuprà memorati auctores, Diodorus, Plutarchus, atque Stephanus, cumque his Cicero ac Plinius, parum perlecti, Græcè dictum fuiſſe docent Εὔγιον, à *ſolo bono atque feraci.* Verùm hos vel ipſe Silius falſæ opinionis coarguit, dum *lapidoſum* eius vocat *ſolum.* Cæterùm Silius metri gratiâ id contraxiſſe potuit in treis ſyllabas: ut ibidem dicuntur ei *Hergentum* & *Amaſtra* opida; quæ erant integris vocabulis *Hergentium* & *Amiſtratum.* Apud Ciceronem in Verrinis IIII & V, & item apud Plinium, lib. III, cap. VIII, opidani leguntur *Enguini.* nec aliter ſcripſiſſe Ciceronem Verrinâ III, ubi vulgata exemplaria referunt *civitatem Eggynam*, certum eſt. eaque vox ab ſciolo eodemque imperito grammatico ſubjecta fuit ex Græco urbis nomine Ἔγγυον, quod Ptolemæus habet, pro *Enguinam.* De ſitu opidi ita tradit Fazellus, decad. I, lib. X: *Gangis opidum novum ad latus collis, qui ex torrentibus Gelæ fluvii caput unum habet, ſitum eſt. eique ad paſſuum millia duo in valle monaſterium ordinis divi Benedicti à religioſis viris ſuper ruinis Gangis veteris (quod quum à Frederico ſecundo, anno Salutis* CIↃCCXCVIIII, *cum Franciſco Vintimilio, eius domino, inſolenter deſciviſſet, funditus deletum eſt. quod falsò quidam Engium vetuſtiſſimam urbem, fuiſſe adſerunt) liberaliter ſuperſtructum.* Et eodem libro poſteà: *A Teriâ fluvio non longè aberat Engyon, aut Eugyon, ut aliis placet, urbs vetuſtiſſima. quæ ſive maritima, vel in eo loco, qui priùs Ongia, nunc Legnina, & à veteribus Portus Vlyſſis dicitur, vel eo, qui Ingiuni vocatur, Leontino hodiè frumenti emporio; ut ex auctoritate Plutarchi conjiciunt plerique: ſive mediterranea, centum ab Agyre ſtadiis diſtans, (ut lib. V Diodorus referre videtur) fuerit: à Cretenſibus, qui, defuncto Minoë, in Siciliâ remanſerant, fuit condita; quantum ex Diodori verbis conſequimur. Cretenſibus*, inquit, *qui, defuncto Minoë in Siciliâ absque imperio remanſerant, invicem diſſidentibus, eorum pars civitatem condidit, quam ab eorum rege dixerunt Minoam; pars per litus errans locum munitum condendæ urbi elegit, quam à fonte, in urbem*

fluente, Engyum adpellarunt. post captam verò Troiam, Merionem Cretem, & cum eo Cretenſeis, navibus delatos, veluti cognatos in civitatem ſuscepêre. Hi poſteà ab Ochyrâ recedentes, expugnatis nonnullis finitimis, eorum regiones poſſederunt. Hæc ille. quibus verbis, aut maritimam fuiſſe Engyon, aut non longè ſaltem ab orâ recedentem, mihi (rei veræ adhuc incompertæ veniâ) videor colligere. quod ipſum Vlyſſis quoque eò cum claſſe acceſſus (de quo paullo infrà ex Plutarchi in Marcello auctoritate nonnihil ſubjungemus) adfirmare putatur. Quin etiam à Leontino marique non adeò remotè diſitam ex Diodori lib. XVI non temerè agnoſcimus. Eius ibi verba hæc ſunt: In Siciliâ verò Timoleon contra Leontinos, quò Icetas cum juſto exercitu ſe retraxerat, movit caſtra. ſtatimque invadens in eam, quam Novam urbem adpellant, quum magnum præſidium, & quod benè ad mœnium propugnationem ſufficeret, intus poſitum eſſet, cœptam rem omittere eſt coactus. transivitq; ad Engyum; quæ urbs tyranno Leptinæ ſerviebat: omnique ſtudio, ut civitatem, pulſo tyranno, ad libertatem reduceret, nitebatur. Leptines, à Timoleonte graviter preſſus, deditionem fecit; & per condiciones dictas juſſus eſt migrare in Peloponneſum. quumque eidem Leptinæ Apolloniatæ parerent; receptæ huic civitati & Engyinis libertatem, ut ſuis legibus viverent, conceſſit Timoleon. Hæc ibi. quæ ſanè de Engyi cum Apolloniâ & Leontino vicinâ non minimo ſunt argumento: quum lib. XX, Centoripen & Apolloniam vicinas fuiſſe urbeis, ſignificet. Sed utcumque ſe res habeat; quum de loco, ubi ſteterit, nihil certi, niſi quod in iis agris, adferre poſſim, de eius rebus hæc ſaltem habeo certiſſima: & reliqua, quæ illic ſequuntur. Falsò Fazellum feciſſe Teriam, qui re verâ erat Symæthus, vulgò nunc *Iaretta* dictus, ſuprà lib. I, cap. X, oſtenſum eſt. Vocem autem iſtam *Ingiuni* utrùm ipſe ita detorſerit Fazellus, uti eo ſimiliorem redderet Engyi vocabulo, an verò typographus ſic corruperit, equidem neſcio. at decad. I, lib. III, cap. II, eamdem dicit *Ingluni*, quæ aliis Siciliæ auctoribus, Italicâ utentibus lingvâ, ſcribitur *Angulone*. Verba Fazelli loco proximè dicto hæc leguntur: *Leontinum frumenti emporium deinde ſequitur. ubi ſinus parvus eſt: qui, quòd ad angulum ſitus eſt, quo collis, qui ei imminet, in orientem ſe porrigere incipit, faciens Taurum promontorium, Ingluni vernaculâ lingvâ hodiè Siculis nominatur. In eodem loco arx eſt & ager illi adjacens, qui Murgus adpellantur. Fuiſſe ibi olim Murgentium vetuſtam urbem, eruditi omnes adfirmant. cuius deletæ pleraque, licèt obruta, in eodem agro cernuntur veſtigia: quod nominis, cuius aliquod adhuc ſervat monumentum, adfinitas adfirmat. Sunt, qui Engium urbem, ex verbis Plutarchi in Marcello maritimam, opinantur hoc loci ſtetiſſe. quod ex adfinitate recentis & vetuſti nominis & ex aliis quoque conjecturis ſuſpicantur.* Emporium heic jam olim fuiſſe Leontinorum, ut etiamnunc eſt, quis dubitet, quando urbs ea v haud ampliùs millia paſſuum à litore diſita eſt, & potens in primis olim fuit? Neque verò huic ſolo convenit præſcriptum illud Silii:

——— *Lapidoſique Engyon artus.*

Cæterùm verba Diodori, lib. XVI, hæc ſunt: Ὁ δὲ Τιμολέων παρελθὼν εἰς πόλιν Ἔγγυον, πυργωμάτων ὑπὸ Λεπτίνου, περιβολαῖς ζωηραῖς ἐπιειῆτο, βιαζόμενος τὸν μὲν Λεπτίνην ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς πόλεως, τοῖς δ' Ἐγγυίνοις τὴν ἐλευθερίαν ἀποδοῦναι. καταπλαγέντος οὖν τοῦ Λεπτίνου, τὸν μὲν ὑπόσπονδον ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Πελοπόννησον· ὅσης δὲ τῶν Ἀπολλωνιατῶν πόλεως ὑπὸ τὸν Λεπτίνην, τοσαύτην ἀλλαβὼν τὴν Ἀπολλωνίαν, πάντα τὰ τῆς Ἐγγυίνων ἀπέδωκε τὴν αὐτονομίαν. Hoc eſt: *Timoleon, Engyum urbem, Leptinæ tyrannide preſſam, adgreſſus, continuis eam oppugnationibus fatigabat; omneis in id nervos intendens, uti, expulſo tyranno, Engyinis libertatem redderet. Leptinen itaque, terrore ad deditionem perculſum, datâ incolumitatis fide, in Peloponneſum miſit. & quia Leptinæ dominatum Apollonienſes etiam tulerant; Apolloniam ſimul in fidem recepit: & tàm his quàm Engyinis jus ſuum ac leges reddidit.* Suprà, huius libri II cap. IIII ex Diodori lib. XII & XIIII oſtenſum eſt, Archonidem, Herbitenſium principem, primò Ducetium in Calactâ condendâ juviſſe; dein etiam ipſum ſuo Marte atque conatu Alæſam urbem ad Alæſi amnis oſtium condidiſſe. monſtratum item ibidem è Stephano, Apolloniam fuiſſe Calactæ & Aluntio propinquam. Ex his igitur documentis, ſimulque ex vocabuli ſimilitudine, haud vana fit conjectatio, *Engyum* fuiſſe eo ſitu, quo ſuprà dictum divi Benedicti cœnobium conſpicitur inter ruinas veteris *Gangii*, Herbitæ conterminum. Atque hinc etiam *Enguina civitas* cum finitimis civitatibus conjungitur à Cicerone in Verrinâ III. *Tyndaritanam*, inquit, *nobiliſſimam civitatem, Cephalœditanam, Haluntinam, Apollonienſem, Enguinam, Capitinam, perditas eſſe hac iniquitate decumanorum, intelligetis.* Fazellus, qua Latinâ Diodori verſione ſit uſus, ego miror. Diodorus, non quinto, ut citat Fazellus, ſed quarto

libro,

libro, de Cretensibus narrat, qui cum Minoë rege, Dædalum persequente, in Siciliam navigarunt. quorum alii, occiso per dolum Minoë, Heracleam Minoam in litore Agrigentino, alii, in mediterranea progressi, Engyum condiderunt. οἱ δ', inquit, Διὰ τῆς μεσογείου πλανηθέντες, καὶ καταλαβόμενοι χωρίον ὀχυρὸν, ἔκτισαν πόλιν, ἣν ἀπὸ τῆς ἐν τῇ πόλει ῥεούσης πηγῆς ὠνόμασαν Ἔγγυον. ὕστερον δὲ κατὰ τὸν τῶν Τροίας ἅλωσιν Μηριόνης μετὰ Κρητῶν στρατευσαμένου τῇ Σικελίᾳ, προσεδέξαντο οὗτοι καταπλεύσαντες Κρῆτες, διὰ τὴν συγγένειαν, καὶ τῆς πολιτείας μετέδωκαν. ὁρμώμενοι δ' ἐξ ὀχυρᾶς πόλεως, καὶ καταπολεμήσαντες ἴδια τῶν περιοίκων, ἱκανὴν κατεκτήσαντο χώραν. ἀεὶ δὲ μᾶλλον αὐξανόμενοι, ἃ κατασκευάσαντες ἱερὰ τῶν Μητέρων, διαφερόντως ἐτίμων ταύτας θεὰς, ἀναθήμασι πολλοῖς κοσμοῦντες τὸ ἱερὸν αὐτῶν. πῶλοι δὲ ἀφιδρυθῆναι φασιν ἐκ τῆς Κρήτης, διὰ τὸ καὶ ὧδε τοῖς Κρησὶ ὑμᾶς τὰς θεὰς πώλους διαφερόντως. Hoc est: *Pars, mediterraneis peragratis, munitum nacti locum, opidum condiderunt, cui à scaturiente in eo fonte Engyum nomen imposuerunt. Posteà sub Troiæ excidium, Merionem in Siciliam cum Cretensibus adpulsum, quòd gentiles essent; in civitatis communionem susceperunt. Quum verò ex urbe munitâ eruptiones facerent, & quædam finitimorum loca subigerent; satis amplam sibi terræ ditionem compararunt. ac subinde magis magisq; amplificati opibus, templum Matribus ædificarunt: exquisitoque venerationis cultu & donariis deas hasce prosequuti sunt. Eas verò ex Cretâ translatas huc perhibent: quòd etiam apud Cretas præcipuâ honorentur religione.* En, quàm disertè ait Διὰ τῆς μεσογείου πλανηθέντας κλίσαι πόλιν, id est, *mediterranea pervagatos condidisse urbem*. illud igitur de litore miror unde habuerit Fazellus, qui & ὀχυρὰν πόλιν intellexit proprio nomine *Ochyram urbem*; quum Diodorus voluerit *urbem munitam*; ut antè dixit χωρίον ὀχυρὸν, *locum munitum*, in quo urbs condita. Cæterùm de eodem opido ac templo ita scribit Plutarchus in Marcello: πόλις ἐστὶ Σικελίας Ἔγγυον, ἀ μεγάλη, ἀρχαία δὲ πάνυ, καὶ διὰ θεῶν ἐπιφάνειαν ἔνδοξος, ἃς καλοῦσι Ματέρας. ἵδρυμα λέγεται Κρητῶν ἡρώων τὸ ἱερόν. καὶ λόγχας ἰδίας ἐδείκνυσαν καὶ κράνη χαλκᾶ, τὰ μὲν ἔχοντα Μηριόνην, τὰ δὲ Οὐλίξην, τετύπων ὀνομάτων διαγραφὰς ἀναθεικότων τῇ θεᾷ. Id est: *Opidum est Siciliæ Engyium, non sanè amplum, sed pervetustum, & dearum, quas Matres vocant, præsentiâ nobile. Templum hoc à Cretensibus ædificatum fertur. ostendebanturq; hastæ quædam ac galeæ æneæ, cum inscriptionibus partim Merionis, partim Vlixis; qui eas deabus consecraverant.* MATRES DEAE quæ hoc adpellantur Plutarcho atque Diodoro, MATER MAGNA dicitur Ciceroni in Verrinâ IIII. *Matris magnæ*, inquit, *fanum apud Enguinos est. in hoc fano loricas galeasque æneas, cælatas opere Corinthio, hydriasq; grandeis, simili genere atque eâdem arte perfectas, idem ille P. Scipio posuerat; & suum nomen inscripserat.* Et Verrinâ V, MATER IDAEA vocatur. *Te, sanctissima*, inquit, *Mater Idæa, quam apud Enguinos augustissimo & religiosissimo in templo sic spoliatam reliquit [Verres,] ut nunc nomen modò Africani & vestigia violatæ religionis maneant; monumenta victoriæ fanique ornamenta non exstent.* Victoriam intelligit P. Scipionis Africani; qui bello Punico secundo Carthaginienseis debellavit. de eo ita idem Cicero in Verrinâ II: *Scipio, bello confecto, Siculis omnibus, Carthagine captâ, quæ potuit, restituenda curavit.* Quæ autem ista sit Mater Idæa, in Germaniæ antiquæ opere, lib. I, cap. XXVII, docui.

Porrò à Gangio versùs occasum Solis opidum in edito colle situm, vulgò adpellatur incolis *Petraglia:* in diplomate autem Rogerii Normanni, Calabriæ & Siciliæ comitis, vocatur *Petra Heliæ*. Antiquis temporibus dicebatur nudè Πέτρα πόλις, PETRA *opidum*; auctore Ptolemæo. unde *Opidani* sunt Diodoro lib. XXIII Πετρῖνοι, & Latinis literis Ciceroni Verrinâ III ac Plinio lib. III, cap. VIII PETRINI: Solino autem, cap. XI, PETRENSES. Silio, lib. XIIII, ipsum opidum derivativo vocabulo dicitur PETRAEA. unde an posteà promanârit vocabulum *Petraja*, quod tandem factum *Petraglia*, equidem haud temerè dixerim. Verba Silii hæc sunt: PETRA *opidum*.

Romanos Petræa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidosique Engyon artus.

Ptolemæus, magnus totius Orbis terrarum, non tantùm Siciliæ, turbator, rectè quidem Petram Engyo ab occasu opposuit; at malè ac perperam utrumque opidum inter Ennam & Syracusas locavit. Esse autem *Petraliam* antiquam istam *Petram*, ex Antonini maximè patet Itinerario; ubi iter huiusmodi descriptum est:

Ab Agrigento Lilybæo M. P. CLXXV, *sic*:

Piciniana IX.

Comitianis	XXIIII.
Petrinæ	IIII.
Pirina	XXIIII.
Panormo	XXIIII.
Yccaris	XVIII.
Locarico	XXIIII.
Ad Olivam	XXIIII.
Lilybæum	XXIIII.

Fazellus, decad. I, lib. VI, cap. I, ex dicto Rogerii diplomate hæc inter alia refert: *Vna est Agrigenti ecclesia; cuius episcopus vocatur Gerlandus: cui in parochiâ adsigno, quidquid intra fineis subscriptos continetur. videlicet, à loco, ubi oritur flumen subtus Corilionem, usque super Petram de Zineth, & inde tenditur per divisiones Iatinæ & Cephalæ: & inde ad divisionem Bichari; inde verò usque ad flumen Salsum: quæ est divisio Panormi & Thermæ; & ab ore huius fluvii, ubi cadit in mare. & protenditur hæc parochia juxta mare, usque ad flumen Tortum: & ab hoc, & abinde unde oritur, tenditur ad Pyra subtus Petram Heliæ: atque inde ad alium montem, qui est supra Pyra. inde autem usque ad flumen Salsum, ubi jungitur cum flumine Petræ Heliæ. & ex hoc flumine, sicut descendit ad Imprandum: qui locus dividit Agrigentum & Butheram. atque inde per maritimam, usque ad flumen de Belichi; quod est divisio Mazariæ usque ad subtus Corilionem; ubi incipit divisio.* Millia sunt hodiéque inter Petraliam & Panormum circiter XLVIII: ut habet Antoninus inter Panormum & Petrinas, locum mansionis apud Petram opidum. In Eclogis legationum ex dicto Diodori lib. XXIII, hæc leguntur: Ἰετῖνοι ἢ ἐκβαλόντες τὴν τῶν Φοινίκων φρουρὰν, τὴν πόλιν Ῥωμαίοις ἔδωκαν. ὡσαύτως δὲ τούτοις ἐπίστευσαν Σολουντῖνοι καὶ Πετρῖνοι καὶ Ἐννατωρῖνοι καὶ Τυνδαρῖται. Id est: *Ietini, ejecto Pœnorum præsidio, urbem Romanis tradiderunt. Eumdem ad modum fecerunt etiam Soluntini, Petrini, Ennatarini, & Tyndaritani.* Apud Solinum, dicto cap. XI, hæc sunt: *Stagnum Petrensium serpentibus noxium est, homini salutare.* Hoc hodiè stagnum quum planè ignoretur, suspicari licet, aliud fuisse opidum alicubi eodem nomine; ut hodiéque complures *Petræ* sunt in hac insulâ.

De cætero numeros milliarium in præscripto Antonini itinere esse partim corruptos, vel ex eo perspicitur, quòd in titulo itineris millia perscripta sunt CLXXVI; universorum verò intervallorum numeri in unum computati summam reddunt millium CLXV tantùm. Hinc etiam inter Agrigentum & Petrinas XXXVII dumtaxat perscripta sunt millia: quum re verâ sint LX circiter. PICINIANAE igitur atque COMITANAE quo situ fuerint, incertum est.

ERBESSVS *opidum.* Porrò supra Agrigentum inter Acragantem Halycumque amneis *opidum* fuit celebre ὁ Ἔρβησσὸς, ERBESSVS sive HERBESSVS; Polybio, Diodoro, Ptolemæo, ac Stephano memoratum. *Opidani* inde sunt Diodoro ac Stephano Ἐρβησσῖνοι, ERBESSINI: at Polybio Ἐρβησσεῖς. & ita Plinio lib. III, cap. VIII, HERBESSENSES. Sine adspiratione scribendum censent plerique viri docti; quia à Græcâ voce ἔρεβος deductum videtur. at Plinius tamen, qui ordinem alphabeticum in recensione Italiæ Siciliæque urbium sequitur, inter ea refert vocabula, quæ ab adspiratione incipiunt. Verba epitomatoris Stephani hæc sunt: Ἔρβησσος, Σικελίας πόλις. τὸ ἐθνικὸν Ἐρβησσῖνος· φίλις Σικελικῶν β'. Id est: *Erbessus, Siciliæ opidum. gentilitium Erbessinus; auctore Philisto, rer. Sicular. lib. II.* Sed duo quum fuerint hoc nomine in Siciliâ opida, illud in Syracusanorum confinio heic intellexisse Philistum, superiori capite docui. Illius apud Agrigentinum agrum situm Polybius maximè indicavit lib. I, his verbis: Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι φέροντες παντὶ τῷ στρατοπέδῳ πρὸς αὐτὸν Ἀκράγαντα προσήρεισαν. καὶ στρατοπεδεύσαντες ἐν ἐκτὸς σταδίοις ὀκτὼ τῆς πόλεως, ζωνίκλεισαν αὐτὴς τειχῶν σὺν Καρχηδονίοις. * . * . ἐπεὶ δ' οὐκ ἀνέτρεπον οἱ Καρχηδόνιοι, πάλιν ἕως ἀκροβολισμοῦ, διελόντες οἱ στρατηγοὶ τὴν Ῥωμαίων εἰς δύο μέρη τὴν δύναμιν, τῷ μὲν ἑνὶ πρὸς τὸ πρὸς τὴν πόλεως Ἀσκληπιεῖον ἔμβυον· θατέρῳ δὲ κατὰ στρατοπέδους ἐν τοῖς πρὸς Ἡράκλειαν κεκλιμένοις μέρεσι τῆς πόλεως. τὸ δὴ μεταξὺ τὴν στρατοπέδων ἐξ ἑκατέρου τὸ μέρους τὴν πόλεως ὠχυρώσαντο. ἐπὶ τῶν μὲν αὐτῶν πέφυκε προσεβάλοντο, χαλεπὴν τοῖς πρὸς τὰς ἐξόδους ἐκ τῆς πόλεως ἀσφάλειαν· τῶν δὲ ἐκτὸς αὐτῶν προσεβάλοντο, φυλακὴν πιεῖν μέρει τὴν ἐξωθεν ἐπιθέσεων, καὶ τῶν παρεισαγομένων ἐπαρεισπίπτειν εἰωθότων εἰς τὰς πολιορκουμένας πόλεις. τὸ δὴ μεταξὺ τὴν πέφυκε τῶν στρατοπέδων διαφήμαζε φυλακῆς διέλαβον, ἐχυροποιησάμενοι σὺν δυνάμεσι τῶν τόπων ἐν διαστάσει. τὸ δὴ χορηγεῖα καὶ τὴν ἄλλην παρασκευὴν οἱ μὲν ἄλλοι σύμμαχοι πάντες ἠθροίζον αὐτοῖς καὶ παρῆγον εἰς Ἔρβησσόν· αὐτοὶ δὲ ἐκ ταύτης τὴν πόλεως, ὑμακρὰν ὑπαρχούσης,

χώσης, ἄφνλες καὶ φέροντις ζωεχῶς τὰς ἀγορὰς, δαψιλῆ τ' αὐαγκαῖα σφίσι ϖροσκυλίζον. * . * . Ο' δὲ Ἄννων, ζωαγαγὼν τὰς ϖροσκολὰς ϵ̓ δυνάμεις εἰς Ἠράκλειαν, πρῶτον μὲν ϖερι-ξικαθήσας, κατέχε τὴν τῶν Ἐρβησσέων πόλιν, ϵ̓ παρείλετο τὰς ἀγορὰς ϵ̓ τὴν τῶν ἀναγκαίων χορη-γίαν τῆς τῶν ϖαρεναυλίων ϖρατοπέδοις. Hoc est: *Romani Agrigentum ipsum cum universo exercitu impetu magno invadunt; octoque ab urbe stadia locatis castris, Carthaginienseis mœnibus includunt.* Et posteà: *Vbi jam Carthaginienses non ulteriùs, quàm ad levem dimicationem, foras prodeunt; consules, diviso bifariam exercitu, cum unâ parte circa Æsculapii fanum, ante urbem situm, considunt: alteram ei regioni urbis, quæ Heracleam spectat, objiciunt: castraque ibi ponunt. interjectum castris spatium ex utrâque urbis parte sic muniunt, uti adversùs opidanorum eruptiones fossâ se præcingant: tum autem aliam extrinsecus ducunt; vel ad externi hostis impressiones defendendas, vel ad illa prohibenda, quæ, ut fit in obsessis urbibus, furtim importarentur, aut si quis clanculum vellet ingredi. intervalla fossas inter & ipsos exercitus præsidiis militum complectuntur: locis maximè opportunis per distincta spatia munitis. commeatum & reliquos adparatus cæteri socii, Erbessum ventitantes, eò convehebant: ipsi verò ex hoc opido, à castris haud longè dissito, res venaleis continenter advehendo & adferendo, largam omnium ad usum necessariorum copiam sibi parabant.* Ac tandem: *Hanno igitur universo belli adparatu & copiis Heracleam contractis, ante omnia urbem Erbessum, proditorum operâ usus, occupat: & castris hostium commeatum, ac quidquid ad necessarios usus requiritur, adimit.* Sic & Legationum excerpta ex Diodori lib. XXIII eamdem historiam referunt: Ο' δ' οὖν Ἄννων αἰαζόξας μὲν ϖάσης τῆς δυνάμεως ἐκ Λιλυβαίας, ϖαρῆλθεν εἰς τὴν Ἠράκλειαν. καθ' ὃν καιρὸν ἦλθόν τινες, ἀϖαγγέλλοντες τὸν Ἐρβησσὸν ϖροδώσειν. Id est: *Hanno, cum omnibus copiis ex Lilybæo movens, Heracleam venit. sub quod tempus adfuêre, qui Erbessi deditionem offerrent.* Sic lib. XX Erbessum Agrigentino agro conjungit, his verbis: Κατὰ τὸν ὃν χρόνον Ἀκραγαντῖνοι, θεωροῦντις τὴν ὑϖ Σικελίας καλῶς ἐχουσαν ἀφυεστέτην ὄσαν ϖρὸς ὁϖόσην, ἠμφισβήτησαν τὴν κζ τὴν νῆσον ἡγεμονίας. Ἐλόμενοι μὲν οὖν στρατηγὸν Ξενόδοκον, καὶ τὴν ἀρμόζουσαν δόντις δυνάμιν, ἐξέπεμψαν ϖρὸς τὸν ϖόλεμον. ὁ δὲ ϖροχρήμα ϖρὸς τὴν Γέλαν ὁρμήσας, καί τινων ἰδιοξένων νυκτὸς εἰσαχθεὶς, ἐκυρίευσε τῆς ϖόλεως. Ἐλευθερωθέντις οὖν οἱ Γελῶοι, ϖρο-θυμότατα ϖανδημεὶ συστρατεύοντες, ἠλευθέρουν τὰς ϖόλεις. Διαβοηθέσης δὲ τῶν Ἀκραγαντίνων ϖρο-βολῆς κζ ϖάσων τὴν νῆσον, ἐνέπεσον ὁρμὴ ϖᾶσι τοῖς ϖόλεσι ϖρὸς τὴν ἐλευθερίαν. καὶ ϖρῶτοι μὲν Ἐννεῖοι ϖέμψαντες, τὴν ϖόλιν τοῖς Ἀκραγαντίνοις ϖαρέδωκαν. οἱ δὲ ϖαύτην ἐλευθερώσαντες, ϖαρῆλθον ϖρὸς τὸν Ἐρ-βησσὸν, φρουρᾶς ἐν αὐτῷ ϖροφυλακήσοντες τὴν ϖόλιν. Hoc est: *Per id tempus, quum Agrigentini eum Siciliæ statum esse cernerent, uti percommodè invadi posset; insulæ principatum sibi vendicare cœperunt. Xenodocum itaque ducem creant: eumque, idoneo exercitu instructum, ad bellum mittunt. Is extemplo Gelam profectus, quum ab hospitibus quibusdam privatis noctu intromissus esset, urbe potitur. Libertatem adepti Gelenses, cum omni civium numero in societatem militiæ transeunt; operamque suam ad liberandas civitates promtissimè conferunt. Hoc Agrigentinorum incepto per totam insulam divulgato, subita libertatis cupido urbeis incessit. primique Ennenses, missis legatis, urbem Agrigentinis dedunt. qui, hac in libertatem adsertâ, Erbessum, quæ à præsidio custodiebatur, proficiscuntur.* Ex illâ Polybii descriptione Erbessus urbs fuisse deprehenditur supra Agrigentum. Est hodiè apud lævam Halyci sive Platani amnis ripam opidulum vulgari vocabulo *Le Grotte:* de quo ita tradit Fazellus, decad. I, lib. X: *Gruttis opidulum Herbesus à Polybio lib. I nominatur. Nominis vetusti rationem Græca etymologia ad speluncas, quas Siculi Gruttas vernaculè hodiè vocant, non absurdè refert. cuius & adpellationis & notationis duo in Siciliâ fuisse opida, veteres scribunt: quorum alterum suprà à nobis in Pantalicâ deprehensum est.*

Sed ad Agrigentini agri mediterranea postquàm perventum, miranda quædam in iis, ab antiquissimis auctoribus adnotata, hoc loco indicasse, haud alienum fuerit. Dioscorides, lib. I, cap. C; quod est ϖερὶ Ἀσφάλτου, *de Bitumine:* Γίνεται δὲ καὶ καλῶ τῶν Ἀκραγαντίνων χώρων τῆς Σικελίας, ὑγρὸν ὀϖτανχόμενον ϖάσης κρήνης, ᾧ χρῶνται εἰς τοὺς λύχνους αὐτὶ ἐλαίου, καλοῦντις αὐτὸ Σικελὸν ἔλαιον, ϖλανώμενοι· ἔστι γὰρ ἀσφάλτου ὑγρᾶς εἶδος. Id est: *Gignitur & in Agrigentino agro Siciliæ liquidum, fontibus innatans, quo ad lucernas utuntur, olei vice, Siculum id vocantes oleum per errorem; quum sit liquidi bituminis species.* Plinius lib. XXXV, cap. XV: *Gignitur & pingue liquorisque oleacei in Siciliâ Agragantino fonte inficiens rivum. Incolæ id harundinum paniculis colligunt, citissimè sic adhærescens. Vtuntur eo ad lucernarum lumina olei vice: item ad scabiem jumentorum.* Doctissimus Dalecampius ex præscripto Dioscoridis loco ita corrigendum censuit; *Gignitur & pingue liquorisque oleacei in Agragantino Siciliæ agro, fontibus innatans.* Porro Solinus cap. XI: *in lacu*

FONS, cui oleum innatat.

In lacu Agrigentino oleum supernatat. hoc pingue hæret arundinum comis de adsiduo volutabro; è quarum capillamentis legitur ungventum medicum contra armentarios morbus. Nec
VVLCANIVS MONS. *longè inde collis Vulcanius; in quo qui divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt; nec ignis adponitur in hanc congeriem, quum proficias intulerint. si adest deus sacrorum probator; sarmenta, licèt viridia, ignem sponte concipiunt; &, nullo inflagrante halitu, ab ipso numine sit incendium. ibi epulantibus adludit flamma; quæ, flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud est, quàm imago nuncia perfecti ritè voti.* Ad hæc Fazellus, decad. I, lib. VI, cap. I, in descriptione Agrigentinæ urbis, ita: *Fons iste ætate meâ in suprà dictis Angeli Strazani hortis exstat. in quo oleum, quod genus est bituminis, supernatat: quo collecto, ad diversa morborum genera curanda Agrigentini hodiè utuntur. At quoniam influebat olim hic fons cum cæteris vicinis piscinam, cuius meminimus; Plinius & Solinus lacum ipsum adpellarunt.* Piscinam hanc sive λίμνην, id est, *lacum*, non in Agrigentino agro, ut de bitumine narrant Dioscorides ac Plinius, sed ἐκτὸς τῆς πόλεως, id est, *extra urbem* fuisse manu factum testatur Diodorus lib. XIII; cuius verba suprà, lib. I cap. XV citavimus. unde patet, hunc sub ipsis fuisse urbis mœnibus; quod ipse vult dicto loco Fazellus, in Angeli Strazani hortis. Plinius in præscriptis verbis nullum memorat lacum; sed *fontem*, sive *fonteis*; ut Dioscorides. Solinus an ritè ac verè lacum adpellaverit, etiamnum dubito. certè Athenæus & auctor libelli de Mirandis, qui vulgò Aristotelis nomini adscribitur, disertè cum Dioscoride ac Plinio vocant κρηνῶν, id est, *fontem*: & in Carthaginiensium locant ditione, quæ Halyco sive Platano amne ab Agrigentinorum agro submovebatur; ut suprà, lib. I cap. XVII, ostensum. Athenæi verba lib. II hæc sunt: Ἀλμώδεις δ' ἅμα τῷ ὄζει ἐν Σικανοῖς τῆς Σικελίας [κρηνάς.] ἐν τῇ Καρχηδονίων ἡ ὀπικρατεία κρήνη ἐστὶν, ἣ τὸ ἐπιπλέον ἔλαιόν ἐστιν ὅμοιον, μελανίτερον τῶν χρεῶν· ὃ ὑποφαιρεῖται χρῶνται πρὸς τὰ βαλανεῖα καὶ τὰ κλίνη. Id est: *Salsi acidique saporis in Sicanis, Siciliæ gente, fluunt fontes. In Carthaginiensium verò ditione fons est, in quo liquor innatans oleo est similis, colore nigrior. quo excepto ad jumentorum ovium que scabiem utuntur.* Aristoteles, μεταρολογικῶν lib. II, cap. III: Καὶ τὰ μὲν ὄζεα γίνεται [ὕδατα·] καθάπερ ἐν τῇ Σικανικῇ τῆς Σικελίας· ἐκεῖ γὰρ ὀζάλμη γίνεται, καὶ χρῶνται, καθάπερ ὄζει, πρὸς ἔνια τῶν ἰδεσμάτων αὐτῷ. Id est: *Et quædam aquæ acescunt; sicuti in Siciliâ Sicanico agro. ibi namq; oxalme* [id est, liquor salsi acidique saporis] *gignitur; qua ut aceto in quibusdam epularum generibus utuntur.* Strabo lib. VI: Περὶ Ἀκραγαντα δὲ λίμναι, τὼ μὲν γεύσιν ἔχουσι θαλάττης, τῷ δὲ φύσιν διάφορον· οὐδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει, ξύλων τρόπον ἐπιπολάζουσιν. Id est: *Circa Agrigentum lacus sunt gustu quidem marino; at naturâ planè diversâ. nam & natandi inscii non submerguntur; sed lignorum in morem supernatant.* De hac re simulque de suprà dicto oleo ita Aristoteles in Mirandis: φησὶν εἶναι ὁ Πολύκριτος, ὁ τὰ Σικελικὰ γεγραφὼς ἐν ἔπεσιν, ἔνθα τόπῳ τῆς μεσογείου λίμνιόν τι, ἔχον ὅσον ἀσπίδος τὸ περίμετρον. τοῦτο δ' ἔχειν ὕδωρ διαυγὲς μὲν, μικρῷ δὲ θολερώτερον. εἰς τοῦτ' ἰόντα ἐᾶν ἧς εἰσβῇ, λύσασαν χρείαν ἔχων, αὔξασαν εἰς εὖρος· ἐὰν δὲ δὶς πέρας, μᾶλλον πλατυνθῆναι· τὸ δὲ πέρας ἕως εἰς πεντήκοντα ἀνδρῶν ὑποδοχὴν μέζον ἡμόρμον διορύξασαν. ἐπὶ δὲν δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν λάβῃ, ἐκ βάθους πάλιν ἀοιδὰν, ἐκβάλλειν μετέωρα τὰ σώματα τῶν λουομένων ἔξω ὅπῃ τὸ ἔδαφος. ὡς δ' αὖ τοῦτο ἡσυχῇ, εἰς τὸ ἀρχαῖον πάλιν ὄγκον τὸ περίμετρον καθίσασαν. ἐμόνον δὲ ὅπῃ ἀνθρώπων τοῦτο ποιεῖ αὐτὸ γίνεσθαι· ἀλλὰ δὲ ἑαυτὰ πετράπαν εἰσβῇ, τὸ αὐτὸ πάσχειν. Ἐν δὲ τῇ ὀπικρατείᾳ τῇ Καρχηδονίων φασὶν ὄρος εἶναι, ὃ καλεῖται Γώνιον, πεντεδαπῆς μὲν ὕλης γέμον, πολλῆς δὲ ἀμπελικλήρου αὐξήσιν· ὥστε σὺν ζωοτρόφοις τόποις ὄντι πολὺ μεγαλαμβάνοντας τῆς δωδίας αὐτῷ, ἡδίστου ὄντα τοῖς ὀδοιπόροις περιβάλλειν τῷ ἀνάπνοῃ. πρὸς δὲ τούτῳ τὸν τόπον κρήνῃ ἔλαιόν φασιν εἶναι, τῷ δὲ ὀσμὴν ἔχειν δὲ κέδρου τοῖς ἀπεψίσμασιν ὁμοίαν. δεῖν δέ φασι τὸν περιόντα πρὸς αὐτὴν ἀγγεῖον· καὶ τοῦτο γνώμῃ, πλεῖον ἀναβλύζειν αὐτῷ τὸ ἔλαιον, ὥστε ἀσφαλῶς δεῦσαι. φασὶ καὶ τούτης τὴν κρήνης πλησίον εἶναι ὄνα πίτρας αὐτοφυᾶ, μεγάλην τῷ μεγέθει. ταύτην οὖν λίγουσιν, ἐπειδὰν μὲν ᾖ θέρος, φλόγα ἀναρρίπτειν πυρός· χειμῶνος δὲ ὑμοῦντος, ἐκ δὲ αὐτοῦ τόπου κρουνὸν ὕδατος ἀναρραίνειν, ὥτω ψυχρὸν, ὥστε χιόνι συμβαλλόμενον μηδὲν διαφέρειν. καὶ τοῦτο φασιν οὐκ ἀπόκρυφον ἐδὲ μικρὸν χρόνον φαίνεσθαι· ἀλλὰ τὸ μὲν πῦρ αἰώνιον τῇ θρεπίᾳ ὄλῃ, τὸ δὲ ὕδωρ πάντα τὸν χειμῶνα. Hoc est: *Polycritus, qui res Siculas carminibus composuit, loco mediterraneo stagnum esse ait, ambitu suo scutum nihil excedens: aquâ perlucidâ quidem, sed paullo turbulentiore. in quem si quis lavandi gratiâ descendat, in latum extendi. quòd si & alter ingrediatur, amplius dilatari; adeò, ut amplificatum spatium quinquaginta etiam vivos capiat. verùm ad eam jam mensuram diffusum, ex imo intumescere; corporaque lavantium, in sublime rapta, foras in humum prosterner; ac mox ad pristinæ angustiæ spatium contrahi.*

atque

atque id non solùm humanis corporibus, sed quadrupedibus etiam ingressis usuvenire perhibent. In Carthaginiensium verò ditione ferunt montem Gonium nomine cum omnigenâ rerum materiâ, tum in primis variegatis floribus refertum esse: unde vicina loca longo tractu suaveolentiam participantia, viatoribus respirationem gratissimam reddant. Iuxta autem esse fontem oleo fluentem, odore cedri guttis non absimili. verùm qui eò accedere velit, lustratione priùs purum atque impollutum reddi oportere. quo facto, adeò copiosè scaturire oleum, ut ampliter inde hauriri queat. Iuxta autem hunc fontem saxum aiunt esse nativum justâ magnitudine; ex quo tempestate æstivâ ignis flamma prodeat; hieme verò aquæ vorago effundatur adeò frigidæ, uti cum nivibus collata nihil eis cedat. Atque hoc quidem non occultè neque exiguum ad tempus fieri: sed ignem per omnem æstatem inde exire; aquam verò totâ hieme. Gonius mons.

Eumdem esse fontem, quem Athenæus citat, patet ex eo, quòd uterque ἐν τῇ τῶν Καρχηδονίων ἐπικρατείᾳ, id est, *in Carthaginiensium ditione* eum locat: à qua Aristoteles τὸ λίμνιον, id est, *exiguum* illum *lacum* excludit, quem Strabo περὶ Ἀκράγαντα, *circa Agrigentum* refert. qui tamen hodiè nullus agnoscitur. ut nec ὀξάλμη illa Aristotelis atque Athenæi. Quapropter omnino ego opiner, fontem, cui innatasse oleum scribunt auctores isti antiqui, esse eum, de quo ita Fazellus scribit, decad. 1, lib. X: *Non procul à Bivonâ est fons oleo scatens; à quo nomen habet. Mons excelsus Bivonæ supereminet, à rebus adpellatus, herbis suis præcipuam eamque ingenitam virtutem præstans: quas herbilegi, undique confluentes adsatim, vel brutorum saluti vel hominum valetudini accommodas decerpunt ac colligunt.* Nempe hoc est illud trans Halycum amnem ἐν τῇ Καρχηδονίων ἐπικρατείᾳ Γώνιον καλούμενον ὄρος, id est, *in Carthaginiensium ditione* Gonius mons; quem Aristoteles describit. Propè autem, apud eumdem fontem, cuius oleo hodiéque utuntur ad ovium jumentorumque scabiem, fuit & Vulcanius, ille collis, sive πέτρα αὐτόφυης, *saxum nativum*, eidem Aristoteli ac Solino memoratum. quod & ipsum quia priscam naturam non ampliùs servat, & ob id ignoratur, Fazellus id extra Agrigentinæ urbis mœnia collocavit; eo scilicet situ, ubi nunc templum est, divæ Mariæ à Monte serrato dicatum.

Porrò aliud notatu dignum referunt Plinius atque Solinus in sale Agrigentini agri. Plinius lib. XXXI, cap. VII: *Agrigentinus sal, ignium patiens, ex aquâ exsilit.* Sal Agrigentinus. Solinus, dicto cap. XI: *Salem Agrigentinum si igni junxeris, dissolvitur ustione: cui si liquor aquæ proximaverit, crepitat veluti torreatur.* Hodiéque fecturæ huius salis exstant in agro Borangio, VIII millia passuum ab urbe Agrigentinâ versùs septemtriones disito.

Idem Solinus eodem loco: *Idem ager Agrigentinus eructat limosas scaturigines: & ut venæ fontium sufficiunt rivis subministrandis, ita in hac Siciliæ parte, solo numquàm deficiente, æternâ rejectatione terram terra evomit.* Scaturigines terram evomentes. De hac re ita Fazellus decad. 1, lib. 1, cap. V: *Non longè ab Agrigento ager est, à Mayharuca Saracenico adhuc nomine clarus; qui adsiduâ rejectatione è diversis aquæ venis terram evomit cinerulentam. ubi certis annis incredibilis propè limosæ scaturiginis moles ex soli visceribus, remugientibus simul agris, ad superna effunditur.* Et decad. 1, lib. VI, cap. 1: *Ager abest ab Agrigento ad aquilonem IIII passuum millibus, cui Mayharuca Saracenicè hodiè est nomen, culturæ minimè idoneus. eius etenim facies, quæ vix 10 ambitu passus habet, tota propè cinerulenta est. heic enim limosas scaturigines, utpote aquam cineri permixtam, ex pluribus faucibus perpetuâ evomit rejectatione, solo numquàm deficiente; ut Solinus etiam prodidit. Id autem admiratione dignissimum est, quod Solinum latuit, & nos usu evenire didicimus: singulis ferè lustris locus iste furit. &, cœli tempestate subortâ, præmissoque fragore maximo ac denso nimbo, tanta huiuscemodi luti cinerumque moles exinde effluit, ut telluris solum ad VI fermè cubitorum altitudinem excrescat. Orificio si lineam etiam magni ponderis infigas: quod non nisi magnâ vi ob oris angustiam fieri potest: à vento subterraneo excussa extrà statim prosilit.*

Cæterùm Lycophron, in Alexandrâ, de Menelao, varias Orbis terrarum parteis post excidium Troiæ oberrante, ita canit: Conchevs lacus.

Ἥξει δὲ παύρῃ γυμνάδας κακοξένας
Πάλης κονίσρας, ὅν τε Κωλῶπις πικρὸς
Ἀλευάδα, κρείσσοι λογγάρᾳ μυχῶν,
Ἅρπης Κρόνᾳ πήδημα, Κογχείας θ' ὕδωρ
Κωμῳάς, Γονάσων τ' ἠδὲ Σικανῶν πλάκας.

Hoc est:

Hoc est:

Adibit deinde tauri gymnasticas inhospitas
Luctæ palæstras: quem Colôtis genuit
Alentia, regina sinuum Longuri:
Falcis Saturniæ saltum, & aquam Conchéæ
Ambiens, Gonusamquè, & arva Sicanorum.

Ad hæc ita scholiastes poëtæ Isacius Tzetzes: Παρεγένετο δὲ ὁ Μενέλαος καὶ εἰς τὴν Σικελίαν, ὅπου αἱ παλαῖσραι Ἐρυκος καὶ Ξενοκτόνου, ὃς ἦν Ἀφροδίτης καὶ Ποσειδῶνος· ἀφ' ἧς καὶ ὁ τόπος Ἔρυξ ἐκλήθη. Κολῶτις, ἡ Ἀφροδίτη. Ἄρπη, ἤτοι δρέπανον καὶ ἡ Φαιακία Κέρκυρα καὶ ἡ Σικελία λέγεται· ἡ μὲν Σικελία, ὅτι ἐκεῖ λέγεται τὸ δρέπανον, μεθ' ὃ τὸν Οὐρανὸν ὁ Κρόνος ἐξέτεμε. Γονῆσσα, ἔστι μὲν πόλις Θεσσαλική, νῦν δὲ λίμνη Σικελίας, ἐν ᾗ ἐπλανήθη ὁ Μενέλαος. Hoc est: *Adveniet etiam in Siciliam Menelaus: ubi palæstræ sunt Erycis, hospitum interfectoris, Veneris ac Neptuni filii: à quo locus etiam dictus est Eryx. Colôtis est Venus. Harpe, sive Drepanum* [id est, *falx*,] *cum Phæacia Corcyra, tùm Sicilia dicitur. ac Sicilia quidem, quia istic erat falx, qua Cœlum exsecuit Saturnus. Gonussa quidem aliàs urbs est Thessalica; sed heic stagnum denotat Siciliæ, in qua oberravit Menelaus.* Omnem insulam anteà vocatam fuisse à Sicanis incolis Sicaniam, suprà lib. I, cap. II, ex plurimis demonstratum est auctoribus antiquis. posteaquàm verò Siculi, ex Italiâ in hanc Sicaniam transgressi, Sicanos in occidentalem insulæ partem compulerunt, insulæque universæ de suo nomine vocabulum Siciliæ imposuerunt: Sicanorum fineis extra duos Himeras amneis, quorum alter hodiè ab meridie *Salsi*, alter ab septemtrionibus *Termini* vocatur, constitisse, eod. lib. I, cap. XVII, docuimus. In hac igitur Sicaniâ posteriore fuêre loca ista à Lycophrone memorata; *Eryx mons, Drepanus portus, Longurus sinus, Gonussa stagnum, & Conchéæ aqua.* quorum singula quo situ fuerint, partim lib. I cap. XVIII. partim lib. II, cap. II exposuimus; præter τὸ Κογχείας ὕδωρ, *Conchéæ aquam*; quam hactenus neque veterum neque recentium scriptorum quisquam indicavit: eóque dispectu longè difficillima est. Verùm dubium esse nequit, quin fuerit sive fons sive stagnum in primis Siciliæ celebre. unde etiam fama eius ad Lycophronem Chalcidensem pervenit tam nobilis, uti id poëmatio suo, historiarum varietate maximè admirando, inseri dignum judicaverit. Quapropter minimè ego dubitaverim, quin ΚΟΓΧΕΙΑ ΑΙΜΝΗ, id est, CONCHEVM STAGNVM sit id, quod Fazellus decad. I, lib. VI, cap. I describit in hunc modum: *Ager est Agrigenti, passuum millia* VIII *ab urbe ad aquilonem recedens, Aborangius adpellatus; in quo salis est minera, naturam à cæteris discrepantem habens. si enim igni jungitur, calore solvitur; si aquæ, durescit, crepitatque. Non longè ab hoc agro, inter Agrigentum & Bivonam, lacus est sulphureus, Bissana vulgò dictus, centum fermè passus habens in ambitu, immensus. in quo crateres sunt duo, vicissim ad trium cubitorum altitudinem aquas perpetuò emittentes.* Hic lacus, haud dubium est, quin magnæ olim fuerit admirationis juxtà ac religionis famæque apud exteras genteis: quemadmodùm *Palicorum lacus* in eâdem hac insulâ, & in Italiâ *Amsancti lacus* in Hirpinis, & *Vadimonis* in Etruriâ: ideóque inter omnia alia Sicanorum nobilia loca adnotatu dignissimus. Cæterò apud Solinum cap. XI hæc leguntur: *Stagnum Petrensium serpentibus noxium est, homini salutare.* Apud Petrinorum Petram, quæ vulgò nunc dicitur *Petraglia*, nullum hodiè reperiri stagnum, jam anteà dixi. itaque suspicari licuerit, hoc *Conchéum stagnum* idem illud esse *Petrensium*; ab aliâ scilicet urbe *Petrâ*, haud procul sitâ, cognominatum. est quidpe hodiè *Petra arx* eodem tractu, tribus passuum millibus à Bivonâ disita. certi tamen in re tam ambiguâ nihil temerè adfirmaverim.

MOTYVM *castellum.* Cæterùm in Agrigentino agro fuit τὸ Μότυον φρούριον, MOTYVM *castellum:* cuius Diodorus meminit lib. XI. Ἐπ' ἄρχοντος, inquit, Ἀθηνησιν Ἀντιδότου, Δυκέτιος, ὁ τῶν Σικελῶν ἔχων τὴν ἡγεμονίαν, Αἴτνην μὲν καταλάβετο, τὸν ἡγεμόνα αὐτῆς δολοφονήσας· εἰς ἣν τῶν Ἀκραγαντίνων χώραν αἰσθόμενος μὴ δυνάμενος, Μότυον, φρούριον ὑπὸ τῶν Ἀκραγαντίνων, ἐπολιόρκησε. * * * * * Ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις, Ἀκραγαντῖνοι τὸ Μότυον φρούριον, κατεχόμενον ὑπὸ τῶν μὴ Δυκετίου Σικελῶν, ἐξεπολιόρκησαν. Id est: *Athenis summum gerente magistratum Antidoto, Ducetius, Siculorum dux, Aetnam occupavit, per dolum principe eius interfecto. ductisque hinc in Agrigentinorum agrum copiis, Motyum, Agrigentinorum præsidio custoditum, oppugnare adoritur.* Et posteà: *Dum hæc ita geruntur, Agrigentini*

Motyum

Motyum castellum, quod à Ducetiano tenebatur præsidio, expugnant. At quo situ id fuerit, planè non liquet.

Cæterò opidum collocatur Ptolemæo inter Heracleam & Agrigentum sive inter hoc & Hypsæ ostium, nomine, ut vulgata habent exemplaria, Ἀγκῦνα, *Ancrina.* Verùm falsò Ptolemæum Hypsæ fecisse ostium, quod erat Acragantis fluvii, suprà lib. I, cap. XV, ostensum. Quum verò ad ipsum Hypsæ Acragantisque confluentem situm fuerit Agrigentum, opidum haud longè à mari remotum, cuius navale fuit ad ostium Acragantis; nulla sanè alia urbs heic intercedere potuit. Fazellus, decad. I lib. X ita narrat: *Heraclea jacens in litore urbs succedit. Intus* 10 *posteà ad passuum millia* VII *in monte edito, inter Pecurarum & Platanellam, magna urbs prostrata cernitur. & paullo superiùs in colle undique præciso, quem Lycus amnis suâ dextrâ alluit, cuique mons Platanellæ est nomen, alterius urbis diruta, ambitus passuum mille, & unico accessu adeundæ, miræ visuntur ruinæ.* Heracleam sitam fuisse ad ostium Halyci amnis, cuius vocabulum apud Diodorum lib. XVI, & Heraclidem in libello de Rebuspublicis, item apud Plutarchum in Timoleonte corruptum legitur Λύκος, *Lycus*; vulgò autem hodiè vocatur *Plátani*; suprà lib. I, cap. XVII demonstratum est. Ex illâ igitur Ptolemæi positione circa Agrigentum & Heracleam ego primas illas ruinas, supra Heracleam VII millia passuum sitas, esse conjecerim reliquias opidi, quod apud Ptolemæum legitur Ἀγκῦνα, nomine haud dubiè cor- 20 rupto ab genuino Ἀγκύρινα, ANCYRINA. quod eodem modo deductum est à primitivo eiusdem nomine Ἀγκῦραι, ANCYRAE, ut Ἀγύριον quoque & Τίσσα, & Μέναι, & Μοργαντία, urbes, dictæ fuêre Ἀγύρνα, Τίσιννα, Μένλωα, & Μοργάνλινα: de quibus suprà suo loco actum est. Refert autem opidum *Ancyras* Diodorus lib. XIIII, his verbis: Διονύσιος δὲ μὴ τῶν λεπτινείων καταφρονήσας τοῦ τόπου, ἤρξατο χώμασι καταστρωννύειν ὁδὸν πρὸς τὸν Μοτύην. * . μετὰ δὲ ταῦτα πρῶτον μὲν τῶν ἔργων κατέλιπεν ὑπηρέτην Λεπτίνην τὸν ναύαρχον, αὐτὸς δὲ μετὰ τῆς πεζῆς στρατιᾶς ὥρμησεν ἐπὶ τὰς τῶν Καρχηδονίων συμμαχίδας πόλεις. Σικανοὶ μὲν πάντες, ὀλιγοστοὶ τὸ μέγεθος τῆς δυνάμεως, προσεχώρησαν τοῖς Συρακουσίοις· τῶν δὲ ἄλλων πόλεων πέντε μόνον διέμειναν τῇ πρὸς Καρχηδονίους φιλίᾳ· αὗται δ' ἦσαν Ἀγκῦραι, Σολοῦς, Αἴγεστα, Πάνορμος, Ἔντελλα. τὴν μὲν οὖν τῶν Σολουντίνων καὶ Πανορμιτῶν, 30 πρὸς δὲ τούτοις Ἀγκυραίων χώραν ὁ Διονύσιος ἐλεηλάτησε καὶ ἐδενδροτόμησε· τὴν δὲ τῶν Αἰγεσταίων καὶ Ἐντελλάνων πολλῇ δυνάμει προσαπέδοσαν, ζωγρείας ἐποιεῖτο προσβολὰς, σπουδὴν αὐτῶν μετὰ βίας κυρεῦσαι. Id est: *Dionysius cum architectis situm locorum contemplatus, aggeres ad Motyam ducere cœpit. Post hæc Leptinæ, classis prætori, curâ obsidionis demandatâ, ipse cum pedestri exercitu socias Carthaginiensium urbeis invadit. Ac Sicani quidem statim omnes, magnitudine copiarum territati, Syracusanis sese adplicarunt: ex reliquis autem opidis tantùm quinque in fide Carthaginiensium perstiterunt; scilicet, Ancyræ, Solûs, Aegesta, Panormus, Entella. Soluntinorum igitur Panormitanorumque & Ancyræorum terras diripuit, excidioque arborum mulctavit: at Aegestanorum urbem Entellanorumque cum exercitu circumsessas, adsiduis conatibus oppugnavit; summâ vi subigere illos* 40 *connitens.* Circa Sicanorum fineis fuisse Ancyras, satis disertè ex hisce verbis patet. Ergo ab vocabulo Ἀγκῦραι opidani Græcis dicebantur Ἀγκυραῖοι, *Ancyræi*; qui Latino ore formabuntur ANCYRENSES; vel ANCYRANI: ut opidani dicuntur Stephano ab *Ancyra*, Asiaticâ urbe. Idem opidum an etiam Ἀγκύριον, *Ancyrium*, dictum fuerit, (quo nomine Italiæ urbem citat Stephani epitomator,) unde opidani facti sint Ἀγκυρῖνοι, *Ancyrini*, & ipsum opidum posteà Ἀγκύρινα, *Ancyrina:* equidem nescio. apud Ciceronem certè, in Verrinâ III, sunt *Acherini*, nulli alii scriptori memorati populi. Verba illic leguntur ista: *Tyndaritanam civitatem, Cephaleditanam, Halentinam, Apollonienſem, Eggynam, Capitinam, perditas esse hac iniquitate decumanorum, intelligetis: Murgentinis, Assorinis, Elorinis, Ennensibus, Le-* 50 *tinis, nihil omnino relictum: Citharinos, Acherinos, parvarum civitatum homines, omnino abjectos esse ac perditos.* Heic quia *Cephaleditanam, Halentinam, Eggynam, Letinis, Citharinos*, vocabula sunt corrupta ab genuinis *Cephalœditanam, Haluntinam, Enguinam, Ietinis, Cetarinis*; idem de postremâ istâ voce incognitâ *Acherinos* suspicari licet. quæ si *Ancyrinos* esse nequeat, certè Cicero scripsit *Cetarinos ac Scherinos.* nam Ptolemæo opidum in occidentali insulæ parte est Σχῆρα, *Schera*; & Plinio lib. III, cap. VIII opidani *Scherini*.

ANCYRAE opidum.

COTYRGA *opidum.* Cæterùm alteræ illæ ruinæ, ad dextram Platani ripam sitæ, an reliquiæ sint opidi, quod hoc terrarum tractu locat Ptolemæus, nomine Κότυργα, COTYRGA, haud facilè dixerim. quamquàm duo opida tam vicina inter se fuisse, minimè veri est simile.

CAP. XII.

Triocala & Scirthæa, opida. Adrano vicus. Opida, Macella, Elcethium, Legum. Entella & Halicyæ, urbes. Ietæ, Schera, & Longaricum, opida. Ad Olivam & Pirina, loca incertæ condicionis. Opida, Morgyna, Parôpus, Ameſtratus ſive Mutiſtratum, Nomæ, Apollonia, Noæ, Abacænum. Myconius mons.

TRIOCALA *opidum.* ISburus est fluvius Ptolemæo; quem vulgari nunc adpèllatione *Fiume di Calta bellotta* dici adcolis, suprà lib. I, cap. XVIII, ostendimus. Ab huius ostio in septemtriones versùs *opidum* eidem auctori ponitur in mediterraneo, cuius vocabulum in vulgatis exemplaribus vitiatum legitur Τρίοκλα, *Triocla*, pro Τρίκαλα, TRIOCALA: ut est apud Diodorum & Silium. Huius verba lib. XIIII, hæc sunt:

Et mox servili vastata Triocala bello.

Vnde *opidani* sunt Plinio, lib. III, cap. VIII, TRIOCALINI. Nomen id traxit opidum ἀπὸ τριῶν τῶν καλῶν, id est, *à tribus pulcris*; teste Diodoro; cuius verba mox producemus. Apud Stephani epitomatorem, sine o dicitur Τρίκαλα, TRICALA: & etiam singulari numero Τρίκαλον, TRICALVM. unde Ciceroni & eidem epitomatori *opidani* dicuntur Τρικαλῖνοι, TRICALINI. Dictus epitomator: Τρίκαλον καὶ Τρίκαλα, ἐθνικῶς, πόλις Σικελίας· Φίλιστος. τὸ ἐθνικὸν, Τρικαλῖνος, καὶ Τρικαλίνη ϑηλυκῶς. Hoc est: *Tricalum & Tricala, neutro genere, urbs Siciliæ; auctore Philisto. Gentilitium inde Tricalinus; & Tricalina feminino genere.* Cicero, in Verrem actione V: *In Tricalino (quem locum fugitivi jam antè tenuerunt) Leonidæ cuiusdam Siculi familia in suspicionem vocata est conjurationis. Res delata ad istum. statim, ut par fuit, jussu eius homines, qui nominati erant, comprehensi sunt, adductique Lilybæum.* Bellum id servile, quo Tricala vastata fuêre, descripsit Diodorus lib. XXXVI; referentibus Legationum excerptis. unde loci descriptionem adduxisse, sufficiet. Verba ibi leguntur ista: Τρίκαλα δὲ τὸ φρούριον φασὶν ὠνομάσθαι, διὰ τὸ τρία καλὰ ἔχειν. πρῶτον μὲν ναμάτων ὑδάτων πολλῆς, διαφόρων τῇ γλυκύτητι· δεύτερον, περικειμένην χώραν ἀμπελόφυτόν τε καὶ ἐλαιόφυτον, καὶ γεωργίαις δυναμένην χωρεῖν· τρίτον, ὑπερβάλλεσαν ὀχυρότητα, ὡς ἂν ἔσης μεγάλης πέτρας ἀπορρώξ· ἣν καὶ περιβόλῳ πόλεως σταδίων ὀκτὼ περιβαλών, καὶ τάφρους βαθείας πάσῃ, βασιλείοις ἐχρήσατο ὁ Τρύφων, πάσῃ ἀφθονίᾳ τῶν καλῶν τὸν βίον ἀπανθὲ πεπληρωμένην. κατασκάσας δὲ καὶ βασιλικὴν οἰκίαν, καὶ ἀγορὰν δυναμένην δέχεσθαι πλῆθος ἀνθρώπων. Id est: *Castellum autem inde nomen Tricala habere aiunt, quòd in se tria pulcra, id est, tria pulcra, contineat. primùm enim aquis fontanis eximiæ dulcedinis abundat. dein agros habet adjacentes vinetorum olivetorumque plantationi ac frugum culturæ mirum in modum idoneos. tertiò locus tam firmus est, uti nihil suprà: utpote magnâ rupe atque inexpugnabili à naturâ instructus. quam cum ambitu urbis, VIII stadia complexo, cinxisset, & fossam profundæ altitudinis circumduxisset: pro regiâ illam habuit, ubertate omnium commodorum, quæ ad vitæ usum pertinent, refertam. regale etiam palatium ibi construxit, cum foro, quòd numerosæ hominum turbæ capax foret.* Non ipsum tandem Salvium, sive Tryphonem, fugitivorum ducem, opidum *Triocala* condidisse; sed jam antè conditum amplificasse; patet ex eo, quòd jam inde Philistus, Dionysii senioris æqualis, eius meminit: teste Stephano. Cæterùm Fazellus, decad. I, lib. X ita scribit: *Villa franca opidulum, ab Antonio Agliatâ anno Salutis* CIↃCCCCXVIIII *conditum, vino nobile est. cui ad occidentem montes excelsi ac ardui ad III passuum millia insurgunt: ad quorum verticem Caltabellotta superemiuet opidum: & paullo inferiùs ad passus mille, ad angulum eiusdem montis meridionalem, in loco, ubi hodiè ædis est divæ Mariæ à Monte virgineo, Triocala vetusta olim*